RVSSIA.

RVSSIAE ſeu MOSCOVIAE regiones ampliſſimæ ſunt. Eius omnia, ciuitates, oppida, arces, pagi, ſyluæ, agri, lacus, flumina, vnius Principis, quem incolæ magnum Czar, id eſt Regem ſeu Imperatorem vocant, imperio & nutui ſubſunt, & quidquid ſingula commodi ferunt, in vnius Principis fiſcum congerunt. Duces ac Comites, qui dominum vtile in bonis feudalibus liberum poſſideant, & ad hæredes eadem tranſmittant, nulli ſunt. Addicit quidem pagos & agros nonnullis, ſed ruſticorum operis nihilominus vtitur, & rurſus cum libet adimit: adeo vt abſolutum in ſubditos omnium rerum imperium habeat, & viciſſim tanquam Deus à ſubditis colatur, eique obedientia omnibus in rebus, abſque vlla recuſatione præſtetur. Gubernationis negocia & iuſtitiæ adminiſtrationem, per duodecim Conſiliarios aſſidue in aula præſentes obit. In hos, præfecturæ arcium & ciuitatum in toto Moſci imperio diſtributæ ſunt: qui literas & libellos ſupplices Principi inſcriptos accipiunt, eiuſdemq; nomine reſpondent. Princeps enim ipſe nullas epiſtolas accipit, nec vllis ad ſubditos ſuos, vel alios etiam Principes fere literis, manu ſua ſubſcribit.

Epiſcopi ex monachis (quorum monaſteria frequentiſſima in Moſci Imperio, omnia tamen eiuſdem veſtitus & ordinis, cuius D. Baſilium autorem referunt) velut ſanctioris vitæ hominibus, deliguntur, & ſunt in vniuerſo Moſcorum Imperio vndecim, quos Vladiccas illi, id eſt, œconomos & diſpenſatores ſua lingua nominant. Sacerdotes vero ſeu Preſbyteros, Poppos & Archipoppos; Horum metropolita (qui à Conſtantinopolitano Patriarcha olim confirmabatur, nunc à ſolo magno Duce delectus per duos aut tres Epiſcopos conſecratur, ac cum libet Principi remouetur) Moſquæ 65.40.55.30. reſidet. Quæ vrbs Magni Moſcouiæ Ducis Regia eſt. Huic metropolitæ ſubiecti duo ſunt Archiepiſcopi, alter Nouogardiæ magnæ ad Lovvtam fl. 57.0.60.18. alter Roſtouij 66.47.57.20. Reliquorum octo Epiſcoporum ſedes ſunt Smolenka 57.20.55.26. in finibus Lituaniæ, Caſanum ad Volgam 80.48.56.20. Tvveria Volgæ adiacet 63.0.56.57. Rezan 68.0.54.40. Suſdalia 68.20.57.0. VVologda 68.0.59.57. Columna 66.17.54.47. Cortiza 66.40.54.57. ad Moſquam. Hi, diœceſes ſuas raro aut nunquam ipſi inuiſunt, ne quam conſpirationis eum ſubditis ſuſpicionem Principi præbeant, ſed in monaſteriis ἡγουμένους ſeu præpoſitos, & in oppidis quibuſdam lauos, vitam ſacerdotum obſeruantes, habent. In ſcholis, legere duntaxat & ſcribere pueri docentur. Nec academiæ vel collegia in toto Moſci imperio vlla exiſtunt: tum vt hæreſeon, quas eruditione præſtantes fere excogitant & tuentur, occaſiones præcidantur: tum ne Principe ipſo ſapientior & doctior quiſquam videatur. Quem ſolum omnia, præſertim ad omnium gentium religiones pertinentia, ſcire, & omnes nodos & difficultates vno verbo poſſe expedire, ſubditis perſuaſum eſt.

Hæc D. Chytræus.

Medius meridianus. 70. reliqui ad hunc iuxta rationem 50. & 60. inclinantur.

XXVI